

indes ist dieser Theil der Handschrift verstümmelt und unvollständig, auch das Jahr, für das die Aufnahme gelten sollte, ist nicht ausgeschrieben.

Durch die ganze Handschrift zerstreut finden sich zahlreiche Notizen, welche über Gillon le Muisi selbst oder einzelne Glieder seiner Familie sowie über viele in der Localgeschichte Tournais und den städtischen Archiven bekannte Persönlichkeiten Aufschlüsse darbieten.

Es wäre jedenfalls interessant und von Nutzen für das Studium mittelalterlicher Lebens- und Wirtschaftsverhältnisse, wenn diese Rechnungen kritisch geordnet und gedruckt würden; auch das mit ihnen verwobene Conglomerat von Aufzeichnungen, welche mit dem Hauptinhalt der Handschrift gar nichts zu thun haben, entbehrt nicht immer des historischen Wertes. Hier musste es genügen, die Handschrift in ihrem Zusammenhang mit der Geschichte le Muisis und seiner übrigen Werke zu würdigen und entsprechend zu verwerten.

## De initiis humilibus mirabilibusque per secula incrementis Cultus B. Mariae Virginis.

Disquisitio historico liturgica, auctore R. P. Dōmnō Beda Plaine, O. S. B.  
(Continuatio ex fasc. II. pg. 274—281.)

### § 5. Decimum tertium seculum in quo apparent Rosarium, Scapulare Carmelitanum, Septem Virginis Dolores.

Omnibus notum est tredecimum seculum historicum esse et inter celeberrima computari, quia ex una parte dedit mundo gigantes sanctitatis ut Franciscus et Dominicus et ex altera parte Thomas et Bonaventura sublimioris ingenii laude, et scientiae mira amplitudine in eo emicuerunt. Non defuit etiam huic seculo laus novarum institutionum, quae spectant ad cultum Virginis Deiparae. Loquor speciatim de Rosario, sancti Dominici, de Scapulari Carmelitano, et de septem Doloribus ejusdem Virginis, ac etiam de translatione sacrae domus Lauretanae. Multa sane dici possent de unaquaque earum rerum, sed brevitati studens, quae magis certa et proficua videntur, ad pauca verba contraham.

#### I<sup>o</sup>. De institutione Rosarii.

Rosarium hodiernum B. Mariae Virginis non existebat ante S. Dominicum et fundationem Ordinis Praedicatorum, quamvis jam inventa fuissent in octavo et sequentibus seculis aliquot pietatis exercitia, quae cum eo quamdam tenent analogiam, verbi gratia in tenore precum vocalium, quibus constabant, et in modo

eas computandi. Haec assertio documentis authenticis comprobata est a doctissimo Mabillonio, et post eum a multis aliis.<sup>1)</sup> Imo et Venerabilem Bedam hac in re locum primum tenere non est improbabile.<sup>2)</sup> Verumtamen nota falsitatis et injustitiae inurendus esset ille, qui B. Dominico denegaret inventionem Rosarii in se considerati seu in quantum definitur „certa precandi formula qua quindecim Angelicarum salutationum decades oratione Dominica interjecta distinguimus, et ad earum singulas, totidem nostrae Reparationis mysteria pia meditatione recolimus.“<sup>3)</sup> Nam pro S. Dominico in hac re vindicari possunt testes contemporanei et series continua documentorum fide et auctoritate sat dignorum. Coeterum pium exercitium Rosarii quasi peculiaris tessera remansit ordinis Praedicatorum per duo secula et amplius, nec forsitan in tota Ecclesia altas iniecit radices usque ad bellum Lepantinum, (1571) cujus victoria fervidis precibus sodalium ejusdem Rosarii mirabiliter obtenta, huic etiam magnam conciliavit famam in toto orbe catholico. Hinc indulgentiae majores eidem concessae, hinc novae sodalitates in pluribus locis erectae, hinc instituta in nostris diebus pia exercitia mensis octobris auctoritate Leonis decimi tertii feliciter regnantis. Sed de his agetur serius. Nunc de devotione Septem Dolorum B. Virginis.

## II<sup>o</sup>. Pietas erga Compassionem et Septem Dolores Virginis Deiparae.

Pietas erga Virginem Mariam stantem juxta crucem Filii sui, ejusque cruciatibus compatientem tam antiqua est quam Ecclesia Catholica: siquidem res in ipso Evangelio narratur et S. Joannes, Apostolus, et discipulus prae omnibus dilectus primus dici potest hujus devotionis encomiastes et praedicator. Insuper in officiis Liturgicis tridui sacri, quae sunt omnium antiquissima, memorantur pluribus vicibus dolores virginis juxta crucem stantis,<sup>4)</sup> et eo modo Ecclesia ipsa ab antiquis seculis non cessat hortari fideles ad eos digne recolendos. Sancti item Ambrosius et Augustinus et alii Patres quinque primorum seculorum eosdem dolores suis laudibus prosecuti sunt, indirecte pietatem erga matrem Christi dolorosam extollentes. Bernardus autem septem seculis postea eandem pietatem directe et luculentissime commendavit. Verumtamen fatendum est hanc devotionem potius simpliciter adumbratam fuisse quam clare et distincte delineatam usque ad tredecimum seculum. Die vero quintodecima mensis Augusti anni 1233 septem

<sup>1)</sup> Praefatio Seculi V. Benedictini, n. CXXIV et seq. Benedictus XIV. De festis B. Mariae Virginis, XII n. 3 et seq.

<sup>2)</sup> Mabillon: loco citato.

<sup>3)</sup> Ex officio Rosarii, lectione quarta.

<sup>4)</sup> Nonum B. feriae sanctae in Parasceve: »Caligaverunt oculi mei.« Quintum B. Sabbati Sancti »Ovos omnes, qui transitis per viam« et alia similia.

mercatores Florentini, nobilitate et pietate insignes, sese unierunt, inspirante gratia Christi ad fundandum novum religiosum ordinem, qui pro fine speciali haberet laudem et servitium Virginis Deiparae juxta modum, quem ipsa Virgo Virginum indicare eis debebat. Isti pii homines non cogitabant primitus de septem doloribus Mariae particulatim consideratis: sed postea accedenibus variis coelestibus visionibus, ex jussu ipsius Dominae Angelorum induerunt vestem atram in symbolum affectuum compassionis, quibus condolebant Patronae suae et incoeperunt ipsi recolere singillatim septem circumstantias vitae ac passionis redemptoris nostri, in quibus gladio doloris acutiori transfixa est Beata Virgo ejus mater. Hinc proprie sumpsit initium devotio erga Septem Dolores Virginis quae paulatim diffusa ad universalem tandem Ecclesiam extensa est quando Benedictus decimus tertius, currente seculo decimo octavo affixit feriae sextae post Dominicam Passionis festum Compassionis B. Mariae Virginis.<sup>1)</sup> Ultra progrediens in nostro seculo Pius septimus, qui specialem erga hoc mysterium profitebatur cultum, novum festum indixit ejusdem generis ac praecedens, scilicet, festum Septem Dolorum ejusdem Virginis, cui celebrando assignavit tertiam dominicam septembris juxta exemplum ordinis Servitarum, qui in eadem dominica jam a pluribus seculis suam specialem recolebant Patronam, et ut ferventius seu facilius eo die versarentur in meditatione tanti mysterii pii fideles, qui detinentur in labore manuum quotidiano feria sexta post Dominicam Passionis.<sup>2)</sup>

### III<sup>o</sup>. Scapulare Carmelitanum.

Scapulare B. Virginis de Carmelo, salutare est operimentum ut omnes pii norunt, quo induti christifideles feliciter in virtutibus proficiunt. Potest etiam dici fortis armatura, qua proteguntur adversus omnes insidias inimicorum spiritualium. Strictam habet connexionem istud Scapulare cum instituto religioso Carmelitarum, sed ista connexio dependet ab eorum adventu in nostras Europae regiones, non ab originibus proprie dictis ipsius Instituti. Etenim compertum est priores Carmelitas vixisse in Carmelo et aliis locis Palaestinae, quidquid sit de tempore, quo fuit erectus eorum ordo. Compertum est etiam eos introductos fuisse in Galliam et alia regna vicina solummodo circa initium decimi tertii seculi. Porro haec in aetate vestimentum, quod vocatur Scapulare habebatur a diebus S. Benedicti quasi vera tessera monachorum occidentalium seu quasi symbolum quo deficiente nullus reputabatur religiosus. Res patet ex modo agendi Sanctorum Francisci et Dominici. Porro

<sup>1)</sup> Benedictus XIV. De festis B. Mariae Virginis, IV, n. 1 et seq. Decretum 22. augusti 1727.

<sup>2)</sup> Decretum 18. sept. 1816.

Carmelitae Palaestinae juxta exemplar monachorum orientalium, melotem induebant seu quoddam genus cappae rotundae et capucio carentis. Primi eorum, qui in Europam transmigraverunt isto solo vestimento exteriori induti erant, nec sibi isto modo magnam populorum conciliaverunt gratiam.<sup>1)</sup> Quo circa Virgo Deipara, cujus nomine et patrocinio peculiari gloriabantur novi religiosi, eos misericorditer insignivit quodam scapulari ut deinceps jure merito computarentur inter alumnos monachismi occidentalis, et scapulare istud tantis privilegiis decoravit ut quilibet piorum christifidelium illud veneratione amplecteretur, illoque indui summo studio curaret. Ipsa etenim Regina coelorum circa annos 1245—1250 apparuit ad hunc finem B. Simoni Stock, qui tunc temporis toti praeerat ordini Carmelitarum. Habebat in manu dextera Virgo Maria Scapulare fuscii coloris, quod Simoni elargita est, simul dicens: „Accipe hoc tui Ordinis Scapulare, meae confraternitatis signum, in quo quis moriens aeternum non patietur incendium.“<sup>2)</sup> Fama istius apparitionis, istiusque promissionis ubique brevi divulgata, non solum fratres B. Mariae de Monte Carmelo laeti et alacres induuntur hoc novo signo salutis sed etiam omnes fideles plebeii ac nobiles, viri ac mulieres pro summo ducunt honore in tantam sodalitatem cooptari.

Ultra insuper res processerunt octoginta post annis Nam Sacratissima Virgo Deipara Joanni XXII. summo Pontifici se visibilem exhibuit, eique denuntiavit quod omnes, qui sepelirentur cum Scapulari Carmelitano, die primo sabbati ab ipsorum obitu, purgatorii poenarum, si in eis detineri contingat, integram relaxationem sint habituri. Hinc celebris Bulla dicta Sabbatina, in qua narratur haec apparitio, dictaque indulgentia confirmatur auctoritate Apostolica.

Prima harum duarum apparitionum et Verba, quae in ea accepit B. Simon ex ore Virginis fide digna videntur, teste Benedicto XIV, quia pro vindice tenent ipsum secretarium Beati viri.<sup>3)</sup> Authenticitas vero Bullae Sabbatinae a multis est impetita. Quidquid sit aliunde de ejus auctoritate, promissa B. Virginis facta tum B. Simoni, tum Pontifici summi sensu conditionato, necesse est juxta principia theologica Nam impossibile est, ut patet, eripi a gehennae incendiis peccatores, qui ante mortem non ex corde contrito et humiliato redeunt ad Deum. Item non possunt a purgatorii poenis primo die sabbati statim post eorum obitum liberari eos, qui adhuc viventes minime curarunt de satisfactione et expiatione exhibita pro peccatis praeteritis. Verumtamen compertum est etiam eos, qui induuntur Scapulari Carmelitano illudque fide-

<sup>1)</sup> Helyot: Histoire des ordres religieux, édition Migne, t. 1 p. 698.

<sup>2)</sup> Cheron: Vindiciae Sacri Scapulares p. 157.

<sup>3)</sup> De festis B. Mariae Virginis, VI n. 8.

liter gestant, ditari in vita et in morte a Regina Coelorum favoribus tam abundantibus et frequenter tam manifeste miraculosis, ut multo facilius evitent laqueos diaboli, et eripiantur sive a poenis aeternis inferni, sive a poenis temporalibus Purgatorii. Annales ordinis Carmelitarum, vitaeque Sanctorum redundant factis et prodigiis hujus generis: quod sufficit ad certam faciendam specialem protectionem, qua favet B. Virgo sodalibus confraternitatum Carmelitanarum. Res adeo clare explorata est ut Ecclesia Romana eam pro certo habeat et instituerit quamdam festivitatem specialem B. Virginis de Monte Carmelo in pignus gratitudinis pro tantis beneficiis. Quae festivitas primo concessa a Sixto V. in anno 1587 unico ordini Carmelitarum ac paulatim postea extenta diversis regnis et provinciis, tandem affixa est Calendario universali Breviarii Romani per decretum Benedicti XIII. datum die 26. septembris 1726, et celebratur quotannis die XVI. Julii sub titulo Commemorationis solemnis B. Mariae de Monte Carmelo. Aliud citari potest pignus seu testimonium magnae famae Scapularis Carmelitanae in eo quod sodalitates ejusdem generis, quae post tredecimum seculum ortae sunt v. g. sodalitates Immaculatae Conceptionis, Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Sacri ejus Vultus etc., adoptaverunt et ipsae quoddam scapulare colore et mensura diversum tanquam tesseram earum propriam. Nam illud factum est ad instar Carmelitarum, siquidem scapulari carebant in suo habitu proprio religiosa instituta, quorum dictae sodalitates erant quasi membra.

#### IV<sup>o</sup>. Translatio sacrae domus Lauretanae.

In ultimis annis ejusdem seculi decimi tertii translata fuit e Nazareth primo Zaram in Dalmatia, et paulo post Lauretum in Piceno sacra domus B. Virginis, in qua verbum Caro factum est. Quae translatio miraculosa multis aliis miraculis dedit occasionem, initiumque fuit innumerabilium peregrinationum sacrarum in quibus multum adjumenti praestatur pietati.

Hinc titulus Litaniarum Lauretanarum quo insignita est quaedam nova formula deprecatoria, quae Laureti inchoata fuit. Ignoratur tamen quo tempore istae Litaniae compositae fuerunt, forsitan currente solum seculo decimo quarto, sed quidquid sit de hoc dubio tam piaae sunt, tantamque precativam efficaciam habent ut eas hic praetermittere sub silentio mihi vetitum foret.

#### § 6. De Cultu B. Virginis in decimo quarto et decimo quinto seculis.

Anni et secula sibi invicem succedunt modo uniformi, sed tamen non similia sunt sub omni respectu, neque eadem fama et gloria gaudent. Ita post fama gloriosissimum tredecimum seculum

nobis exhibentur duo secula multum ab eo diversa tum sanctitatis fama, tum scientiarum et litterarum decore. Verumtamen cultus B. Virginis adauctus est pluribus modis in his duobus seculis: nam priori ex istis debentur: 1. usus quotidie salutandi tribus vicibus Virginem Deiparam ad sonitum campanae in memoriam Incarnationis unigeniti Filii Dei. 2. Corona B. Virginis vulgo nuncupata Birgittina. 3. Institutio duplicis festi scilicet Praesentationis B. Mariae, quae celebratur undecimo calendas decembris, et Visitationis ejusdem, quae recolitur die secunda Julii. In posteriori vero, id est in quinto decimo seculo, introducta fuit in calendario Romano cum magno piorum applansu festivitas Immacolatae Conceptionis B. Virginis Mariae. De his quatuor aliquid singillatim dicendum est.

### 1. De Angelica salutatione quotidiana, seu Angelus.

Pium exercitium, quod vulgo vocatur Angelus, et ter quotidie repetitur scilicet, mane, meridie et vespere, jure merito computari potest in numero eorum, quae magis utilia sunt, magisque apta ad inflammandos animos vividis sensibus fidei, spei et charitatis. Nam memoriale est quasi juge mysterii Incarnationis, quod est initium salutis humanae. Insuper ex eo quod ter repetitur quotidie diversis horis, impedit ne recordatio Dei et beneficiorum ejus e memoria excidat. Tandem cum sit brevissimum et solum vulgatis precibus constet, quilibet fidelis bonae voluntatis ei vacari potest, licet multis curis seu laboribus manualibus sit irretitus. Haec de commodis et beneficiis dicti exercitii. Aliunde sat obscurae sunt ejus origines. Aliquot vicibus ejus institutio attributa fuit B. Urbano secundo sed deficiunt testes coevi seu fide digni. S. Bonaventura vero praelusit aliquantulum huic institutioni: nam quoddam statutum promulgavit in capitulo generali ordinis minorum anni 1263, cui praeerat, virtute cujus campana pulsari debebat circa vesperam uniuscujusque diei ut fratres hortarentur ad recitandam salutationem angelicam.<sup>1)</sup> Eadem consuetudo vigeat in Ecclesia Santonensi, ineunte seculo decimo quarto.<sup>2)</sup> Eam vero recipiens paucis post annis Summus Pontifex Joannes XXII eam ad universam Ecclesiam extendit plurimisque ditavit indulgentiis.<sup>3)</sup> Porro tunc agebatur de unico campanae sonitu vespertimo qui vocabatur ignitegium et de unica salutatione B. Virginis non de triplici, ut fit hodie. Sonitus horae meridianae incoepus est ut creditur juxta praeceptum regium

<sup>1)</sup> Wadding: *Annales Ordinis Minorum* t. IV, p. 296.

<sup>2)</sup> Pagi: *Breviarium Romanorum Pontificum* t. 4, p. 65. De Joanne XXII, n. 26.

<sup>3)</sup> Rinaldi: *Annales ecclesiastici*, anno 1318 n. 1 et seq.

Ludovici undecimi datum in anno 1472.<sup>1)</sup> Quidam tamen historici asserunt eandem rem multis annis antea fuisse institutam a Summo Pontifice Callixto tertio per decretum diei 29. junii anni 1456: sed erronee: nam dictum decretum tractat de sonitu campanae, quae habebat locum ad horam quartam pomeridianam, et de recitatione trium Pater et Ave pro victoria Ecclesiae in bello contra Turcos obtinenda<sup>2)</sup> quae duae res multem differunt a sonitu campanae meridiano, et a salutatione Angelica, de quibus hic agitur.

Tandem tertius sonitus Campanae, seu matutinus fuit etiam inauguratus in Gallia circa primos annos sexti decimi seculi a Guillelmo Briçonnet, Episcopo Lodovensi et abbate S. Germani Parisiensi.<sup>3)</sup> Isto modo particulares sonitus campanae, de quibus hic agitur, ad numerum perfectum pervenerunt, et imitatores habuit Propheta regius, qui dicebat de seipso: „Vespere, mane, et meridie narrabo et annuntiabo.“<sup>4)</sup> Verumtamen iste triplex sonitus non factus est plane generalis et extensus toti Ecclesiae antequam Benedictus XIII. illum summis laudibus extolleret, pluribusque indulgentiis ditaret per decretum datum die 16. sept. 1724. Quod decretum renovatum est et confirmatum a Benedicto XIV. die 20. aprilis 1742, cum hac clausula quod loco Angelus proprie dicti, recitaretur Regina coeli, durante tempore Paschali.

Tandem nostris diebus, Leo XIII. ejusdem Virginis Deiparae assiduus cultor confirmans decreta anteriora suorum praedecessorum, novis indulgentis decoravit piem exercitum Angelicae salutatione. (Decretum 3. aprilis 1884.)

## 2. Corona B. Virginis nuncupata Birgittina.

Birgitta, quae fuit in hac aetate cum Catharina Senensi, praecipuum sanctitatis decus, reputatur etiam adinventrix novi cujusdam pii exercitii, quod per plura secula multum placuit clientibus Virginis Deiparae. Loquor de corona vulgo nuncupata Birgittina. Ista corona essentialiter constat sexaginta tribus Ave Maria et septem Pater addito symbolo Apostolorum. Numerus salutationum angelicarum seu Ave Maria aequalis est numero annorum, quibus vixit Beata Virgo Maria juxta aestimationem B. Birgittae, et praecise adinventus est ad hanc recordationem frequenter astruendam. Hinc patet quam longe distent quoad propositum finem Rosarium S. Dominici et Corona S. Birgittae quamvis sint fere eadem precatoriae formulae, quibus in utroque casu utuntur fideles. Caeterum in praxi ut facilius

<sup>1)</sup> Gaguin: Chroniques de France X, 19.

<sup>2)</sup> Rinaldi: Annales Ecclesiastici, anno 1456, n. 18—22.

<sup>3)</sup> Mabillon: Praefatio Seculi V. Benedictini n. 122.

<sup>4)</sup> Ps. LIV, 19.

lucrentur fideles indulgentias utroque exercitio concessas, sancitum est ut eadem corona seu tertia pars Rosarii possit inservire tum recitationi Rosarii Dominicani, tum coronae Birgittinae.<sup>1)</sup>

Vulgo fertur S. Birgittae deberi coronam, de qua tractatur. Res tamen non est prorsus certa, tacentibus biographis Sanctae et post eos Bollandianis sociis. Imo Dominicanus Miechowitz eandem rotunde attribuit S. Joanni Capistrano.<sup>2)</sup> Eodem modo agit Doctus Trombelli in suis Disquisitionibus de Cultu B. Mariae Virginis.<sup>3)</sup> Sed forsan uterque in errore versantur: nam corona Franciscana constat septem decadibus angelicarum salutationum sex vero tantum ea quae multiplicibus decorata est indulgentiis sub nomine coronae S. Birgitta a Romanis Pontificibus Leone X., Clemente XI. Benedicto XIV. Insuper in suis Revelationibus Birgitta tractat, de diademate regio Dominae „Angelorum, quod erat sertum septem gemmarum pretiosarum“<sup>4)</sup> asseritque explicite vitam B. Virginis productam esse multis annis post Ascensionem Domini.<sup>5)</sup> Hinc duplex numerus septem orationum Dominicarum et sexaginta trium salutationum angelicarum, qui primum locum tenent in dicta corona. Quidquid sit aliunde de hac quaestione, S. Birgitta habetur de jure tanquam vera auctrix hujus coronae, privilegiumque eam benedicendi spectat exclusive ad religiosos ordinis S. Salvatoris ab ea fundati; patet ex textu diplomatum Pontificum Romanorum.

### 3. Institutio duplicis festi Praesentationis et Visitationis B. Mariae Virginis.

Jam a nono forsán seculo in Oriente recolebatur praesentatio in templum Jerusalem B. Virginis tres annos natae. Res constat ex Menologio Graeco sed festivitas non debebat esse antiquior hoc desinente seculo, siquidem deest in Calendario Neapolitano noni seculi. Eadem vero festivitas non introducta fuit in Occidente nisi circa annos 1370—1372, mediante Philippo Mazerio Regis Cyprii apud Gregorium XI. Avenione adhuc sedentem oratore. Hanc festivitatem sublata tanquam novam a S. Pio Quinto, restituit Sixtus Quintus in anno 1585, et ex eo tempore stabilita remansit. Aliqua etiam celebritate peculiari gaudet apud Sulpicianos et aliquot alias familias religiosas.

Festum vero Visitationis B. Mariae nunquam usque hodie extitit in Oriente, et initium habuit in Occidente solummodo circa

<sup>1)</sup> Deereta Sacrae Congregationis Indulgentiarum dierum 14. aprilis 1839, et 25. aprilis 1841.

<sup>2)</sup> De Litanis Lauretanis. Discursus CCLX, n. 4.

<sup>3)</sup> T. V, p. 256.

<sup>4)</sup> Revelationum S. Birgittae, lib. 1. c. XXX.

<sup>5)</sup> Ibidem c. 61.

finem decimi tertii seculi. Porro quae causa talis oblivionis assignari potest? nisi forsan intima connexio tanti mysterii cum Natali B. Joannis Baptistae: nam istud Natale, ut patet, non esset sanctum nec coleretur ab Ecclesia, si non illud praecessissent Visitatio Virginis, et sanctificatio Joannis in ventre materno. Unde ista duo mysteria sunt quasi inseparabilia. Verumtamen modica est ista recordatio Virginis, quae unitur cum festo dei vigesimi quartae Junii. Quod animadvertentes Superiores Ordinis Minorum hanc festivitatem introduxerunt in suo proprio calendario anni 1263, teste Gavanto.<sup>1)</sup> Deinceps circa ultimos annos seculi decimi quarti Urbanus VI., videns cum summa tristitia Ecclesiam diro schismate dilaceratam, excitavit fideles ut confugerent ad B. Virginem tanquam ad portum salutis in hac tempestate. Propositum vero habuit instituendi festum solemne cum octava et vigilia in honorem dicti mysterii visitationis. Quod propositum, morte intercedente non potuit implere: sed ejus successor Bonifacius IX. illud adimplevit ejus nomine et auctoritate simul ac nomine et auctoritate propria. Res tamen aliquantulum controversa remansit donec S. Pius V. dictum decretum indirecte confirmans, festo Visitationis eandem diem secundum Julii assignavit sub ritu Duplici. — Recentius Pius IX. (decreto 6. Julii 1850) eandem festivitatem ad ritum duplicem secundae classis evexit in memoriam Victoriae obtentae secundo Julii die recurrente anni 1849 supra subditos suos rebelles, qui istum magnanimum Pontificem a Roma expulerant anno praecedenti.

(Continuatur in fasc. seq.)

## Wissenschaftliche und künstlerische Strebsamkeit im St. Magnusstifte zu Füssen.

Von Dr. Dav. Leistle, Rector und ord. Professor der Theologie am k. Lyceum in Dillingen.

(Fortsetzung zu Heft II. 1897, S. 281—286.)

### § 21.

Dr. Gerhard (II.) Ott (1763—1778), geboren zu Büchelbach (Biechelbach) in Tirol am 16. October 1723, zum Priester geweiht den 24. October 1746 und von der Universität Salzburg im Jahre 1748 mit der Würde des Doctorates beider Rechte beehrt, wurde am 24. October 1763 von 21 Conventualen fast einstimmig zur abtheilichen Würde erhoben, nachdem er vorher die Stelle eines Pfarrvicars zu Füssen und die eines Priors bekleidet hatte. Am 26. Oct. wurde er vom Generalvicar und Weihbischof Freiherrn

<sup>1)</sup> Commentarium in Rubricas Breviarii Romani. De Sanctis mensis Julii.